

7  
EPISTOLA  
CONSOLATORIA

*ad*  
MAGNIFICUM  
NOBILISSIMUM

DN.

GEORGIUM ADA-  
MUM STRUVIUM, J.U.D.  
PROF. SYNEDRII JURID. SENIO-  
REM, CONSILIAR. SAXON. CURIÆ  
PROVINC. ET SCABINATUS AD-  
SESSOREM,  
DN. IN UHLSTEDT,

*scripta*

*à*

GUERNERO ROLFINCIO,  
Ph. Med. D. P. P.



JENÆ

Literis JOHANNIS NISII,  
Anno MDCLXII.



# MAGNIFICE

*V I R,*



Emo te seniore[m] credit,  
nisi qui ingenii tui monu-  
menta numerat, & qui  
non tam numerat, quam  
pro merito æstimat. Hunc  
quidem senioratum optimè fers, Vir  
vegetæ ætatis, nondùm extremas ævi  
tangens metas, laudis tamen attingens  
& gloriæ. Ingenii tui opera, iudicii tui  
ostentamenta ferent omne ævum, à  
blattis tineisq[ue] secura, tùmque maxi-  
mè vivent, cum reliquis longa dies in-  
cubuerit & oblivio. Nullus Europeæ  
juridicinæ angulus, in arduæ indaginis  
forensibus litibus tua literaria non con-  
sulit monumenta: nullus non prolita,  
nul-

nullus non sacrarum legum addictus scientiæ, lita eam animo imbibit sententiam, hoc Ariadnæo filo si destituatur, se optatum scopum adsequi non posse. In iis senes vigorem juventæ, senilem gravitatem venerantur juvenes, iisdemque senes à scribendo absterrentur simul & juvenes. Animus immortalis, defervescente jam juventutis æstu, purus & defecatus, excusso furioso affectuum jugo, totus sui juris, Castalios latices bibit, & jus gentibus dicit. Principum, amplissimarumque urbium consiliis tuis gubernas statum, labascentis, fugacis, & jam cœlestia regna meditantis, Astreæ delicia & amor. Senatoriæ juris prudentiæ possessor bonæ fidei, bonis fortunæ etiam emines, & in quadrigâ liberorum melioris sexûs spes tibi surgit nobilis posteritatis, in quâ & tu ipse vivere

)( 2

vere



vere potes, post fata superstes, inter eru-  
ditos nobilis, & inter nobiles eruditus.  
Singula hæc mirantur boni quoque  
sunt, & quidem raro exemplo sine in-  
vidiæ morfu. Quam magnus intuenti-  
um, tantus numerus applaudentium.  
Mater hujus felicitatis est submissio in  
secundis, moderatio in adversis, in con-  
versatione suavitas, in seriis consultatio-  
nibus affectuum immunitas, in amicitia  
constantia, in amore perseverantia. In  
admiratorum numero ego in primis  
hæc de felicitate tibi gratulor: de unô so-  
lô condoleo, quod in uxore cordiali af-  
fectu dilectâ, tui amantissimâ, matro-  
narium virtutum, pietatis, œconomicæ  
prudentiæ, parsimoniæ, laude con-  
spiciuâ, amiseris gaudiorum & curarum  
sociam, orphanorumque tuorum pa-  
tronam. Amisisti illam absens, ma-  
gnis

gnis Brunovicensis Reipublicæ floren-  
tissimæ negotiis implicatus. Non  
abiisti ab eâ, periculorum vitæ cervici  
ejus imminentium conscius, sed planè  
ignarus, chronicum morbum fore con-  
fusus. Non eras à valetudinis præsidibus  
deditâ operâ admonitus, ne officii ne-  
cessitatem moraretur amoris obser-  
vantia. Felicior ne eo, an miserior?  
Abitum ex hâc mortalitate cum anxiiis  
ultimis conatibus meditantem videre  
dilectam animam, afflictissima res. Tu  
inter spemque metumque dubius, in-  
ter sacrum stans & saxum, dum prius  
audisti occubuisse, quàm cum morte in  
arenam descendisse, clementius exper-  
tus es fatum. Solatio sit, illam sacris  
admonitionibus ex limpidissimis divini  
verbi myrotheeciis erectam, TE ali-  
quoties, ad ultimum vale, suspirantem,

) ( 3

di-

divinæque providentiæ cum liberis  
commendantem, in præsentia moestis-  
simorum parentum attigisse illam me-  
tam, quæ piis omnibus est in votis, illós-  
que à mortalitatis exuviis liberos cœ-  
lestibus adsociat choris, periturarum  
exsortes curarum. Reliquit illa te  
corpore, at anima pro salute tuâ & tuo-  
rum vota faciet, magni ponderis futu-  
ra. Tu redux domum factus, sinceri  
affectûs cultu magis, quàm verbo-  
rum phalerato apparatu ostendebas  
dolorem ex immaturo hoc obitu con-  
ceptum, imitatus pictorem, qui quem  
in parente exprimere non poterat, velo  
vultum tegebat. Prudentiâ porrò e-  
menda in æroris impetum, & cogita,  
non amissam conjugem, sed præmis-  
sam. Sic erectus, in hâc viduitatis cala-  
mitate tempus gravibus literariæ & pu-  
blicæ

ε )

blicæ rei curis implicitus terere, & æquò  
animò ferre poteris omnia sinistra for-  
tis terriculamenta, donec annus, quò  
temporum vices & singula reguntur  
momenta, ipsaque seculorum disponi-  
tur æternitas, rapidâ mensium vertigine  
supremam animam nunc agens, ean-  
dem amittat, in se convolutus redivivus  
resurgat, denuò infans vagiat in cunis,  
& repentè vernali reflorescens amœni-  
tate gravibus curarum nebulis dispulsis,  
lugubrem viduitatis habitum mutet.  
Hiscete salvere jubeo plurimùm, Ne-  
storeos annos adprecatus, conjectis in  
unum votis, ut tuis annos de meis su-  
premmum numen addat, & immarcesci-  
bilem vigoris pro suâ cœlesti liberalita-  
te adjungat florem, quo ad negotiosæ  
æternitatis studiosam morientis olivi  
lucernam, delitescentes pluteorum  
tuo-

tuorum visceribus erutas, eruditas,  
maturas in publicum opes expone-  
re, concatenato docendi ardore, stu-  
diosam juventutem, illis quæ à te  
queunt expectari summa, officiis am-  
plecti, & ex te natos, parentis gloriâ  
& suâ virtute clarissimos, inque gra-  
tiâ principum & magnatum, qualem  
te videt focer, eô nomine vel ante  
obitum (præfiscine dixerim) depræ-  
dicandus felix, florentissimos intueri  
valeas.

Dabam in Athenæo Salano.

Anno MDCLXII.

IV. ID. MARTII.



EP  
CONSO  
MA  
NOB  
GEORC  
MUM STI  
PROF. SYNE  
REM, CONSI  
PROVINC.

DN. IN

GUERNE  
Ph.

Literis

A

A.  
.D.  
IO.  
Æ

